

ad cujus calcem Rubrica praecipit *ἀδυνατον*: *Reliquos psalmos require in principio post nocturnos dominicales*; nihil enim ejusmodi fuit unquam in Codice. *Salomonis Libros praecurrit Ecclesiasticus. Praefationes Rabani Mauri ad Regem Ludovicum et Archidiaconum Geroldum Libris Machabaeorum*, quorum II. c. 12. habet Defunctorum memoriam, postpositae sunt, hacque clausula terminantur: *Finitis ordinarie omnibus libris veteris testamenti hic iam incipit prologus in evangelium mathei. Epistolae Pauli ad Colossenses* subjecta est spuria ad *Laodicenses*. Testimonium duplex I. *Job. c. 5. v. 7. 8. rite habet, quamvis spatiolo inter posterius hij et tres pumex admotus videatur. In anteriore Tabula lignea, qua Codex munitur, rudi pictura visitur Servator cruci tribus clavibus adfixus adstantibus Maria et Johanne, in posteriore vero Deipara Filium gestans et lunae insistentis. Adest ei a dextra, ut opinor, Elisabeth cum filiolo Baptiste, a sinistra vero Catharina rota, machaeraque insignis, laeva-que capiti Clerici in genua proci-
dui, Mariamque his verbis appellantis: Ora pro me Sancta dei genitrix Maria! imposita. Atque, ut noscas Supplicem, ad pedes legitur: Nicolaus Plebanus; et plenius infra picturam: Liber biblii nicolai plebani de wintrberg et hoc sub anno domini Millesimo CCCC°. LX°. sexto amen. Est vero Winterberga Civitas Bohemiae ad fines Passavienses. Ut scias, nihil Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

fraudibus inaccessum esse, Veterator quidam majorem Codici aetatem adrogaturus quartum C eraferat. Sed fucum non fecit characterum variae aetatis gnaro. Itaque quartum illud C jure meritoque restitui.

XXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 6.
Folior. 342. f. currente calamo per duas columnas exaratus, et rubricis paene destitutus hanc Notam praefert: *Hunc librum testatus est ad collegium beate marie virginis domus rubee rose* (dictae etiam Bursa Rosae, Rosenbursch,) *apud fratres predicatorum in Vienna Egregius ac venerabilis vir magister andreas de potenprun* (Pago infer. Austriae) *arcium et theologie professor eximius Atque ecclesie Cathedralis Sancti steffani canonicus premeritus. Ita olim aut Canonici docebant, aut Professores Canonicatibus donabantur. Andreas noster annis 1469. et 75. simul Academiae Rector praeerat, simul sacras Literas exponebat. Codex porro illius fat mendose scriptus Biblia vulgatae Interpretationis continet hoc insolenti ordine: Pentateuchus, Josue, Judices, Job, Machabaei, Paralipomenon L. I. abruptus in C. XII. Deinceps IV. Evangelia, Actus Apostolorum, Epistolae Pauli, et Canonicae, demum Apocalypsis. Adsunt Prologi Hieronymiani, et Argumenta, prout habentur in Bibliis glossatis. Machabaeis praefatur etiam Rabanus tam ad Ludovi-*

dovicum Regem, quam ad Geroldum Archidiac. Palatii. Inter *Epistolam ad Coloss.* et *Theffalonic.* irrepsit spuria ad *Laodicenses.* I. *Job.* 5. solum testimonium coeleste ita expressum est: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo pater verbum et spiritus sanctus Et bij tres unum sunt.*

XXXVIII.

E. 4. a. Codex membranaceus belg. Sec. XV. Folior. 334. numeratorum, praeviis 9. non numeratis, f. maj. per duas columnas elegantissime perscriptus, magno cum Iconum, tum aliorum ex auro coloribusque ornamentorum adparatu, olim *Eugenii Sabaudici*, institutus vero a Viro quodam ecclesiastico, forrasse Canonico *Leodiensi* aut *Ultrajectino*, cujus Figura adgeniculata B. V. Mariae visitur pag. e numeratis 1. adstante quodam sancto Episcopo, scutoque adjacente, quod constat fasciis octo horizontalibus aureis et rubris alternis, quarum rubrae argento punctatae sunt, Opus *Biblicum* est, cujus indolem dabo. Init ab Elencho Librorum sacrorum, quos continet, per singula Capita. Sunt vero sequentes: *Pentateuchus*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum IV.* *Tobias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Parabola Salomonis*, *Ecclesiastes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, ita tamen, ut intexantur *Esdras* et *Josuephus de Cyro* et *Alexandro*, et Librorum Doctrinalium non nisi priora Capita ponantur, ceteris,

ut ait Librarius, om der cortheit wil omiffis. Elenchum excipit Praefatio in commendationem s. Scripturae hoc initio: *Onse here god voersiene die grote droetheit van devocien die in sinen volke toecomende was end wesen soude, so aenroept hi ons alle traghe menschen, Ende biedet ons sine gracie bi sinen prophete ysayam. Ende seyt aldus. Gbi alle die dorst hebt, coemt ten watere &c.* Sequuntur *Picturae* duae folii magnitudine, prior aurea tota Deum solum in sede majestatis suae, altera systema Mundi cum Planetis, Sideribus, Zodiacique Signis Angelorum choris circumdatum Deo rursum supra locato exhibet. Tum demum inchoant *Biblia*, et quidem per particulas, quarum singulis commentarius e *Scholastica Petri Comestoris Historia* substractus est. Ita *Genesis*: *In den begin sciep god hemel ende eerde. Mer die eerde was onnit ende ydel &c.* ubi nunc *Dordracena Amst. 1660.* f. legunt: *De aerde nu was woest ende ledigh. Scolastica. In den beginn was woert, ende dat woert wast beginne In den welken ende by den welken die vader die werlt sciepe &c.* Per decursum operis adparet, Libros *Biblicos* in *Elencho* praeteritos hinc inde, ubi *Chronologia* suadebat, saltem particulatim immixtos esse. Libri *Regum* et *Alexandri Historia* Iconibus abundant; ab hac vero, quae *Codicem* terminat, folium saltem unum periisse videtur. In *Jobo* notantur etiam *Lectiones* in Officio pro Mortuis recitari solitae.

XXXIX.